Lubomirski Nicolai: Parentalia unico nepoti et quinque neptibus dicta.

Crac. typis Ioan. Szeliga. 1607.

#

PARENTALIA NICOLAI LVBOMIRSKI, VNICO NEPOTI, ET QVINQVE NEPTIBVS, DICTA.

IN GRATIAM
MÆSTISSIMI PATRIS
GENEROSI D. ALBERTI
NIEWIAROWSKI Affinis sui.

IN LVCEM EDITA.

CRACOVIÆ.
Typis Ioannis Szeliga, Anno Domini 1607.

LECTOR.

ADMONITVM TE VOLVMVS:

SI NIHIL VSQVAM ORNATVM, COMPTVM CVLTVMVE IN LVCTV VIDISTI, VEL VISVM, VT PAR EST, IMPROBASTI.

HOC QVOQVE CARMEN.

NE LIMA ASPERIORE EXAMINES.

PLENVM FLETV, DVRVM LAMENTIS, MADIDVM LACHRYMIS.

IN OBITV,
ANNÆ NIEWIAROWSKA.
LACRYMÆ AVIÆ.

SI cui triſte nefas manes lugere ſepultos,
Et vacuos largo tumulos perfundere fletu,
Olim iura Deûm & ſæcli quod certa futuri
Relligio, & ſperata alti poſt funera cœli
Aſtra vetant: ſed enim quibus eſt fortuna peracta
Iam ſua, quæſitos vitæ melioris honores
Expertes curarum agitant. ſi forte parentum
Vidit fata puer, dixitq; nouiſsima verba
A cliuis tumulo, atq; animam ter voce vocauit;
Crudelis cui non maduerunt lumina, ſæuo
Nulla animo pietas, ſed durus poſsidet ima
Corda ſilex. quid ſi primæuo in flore iuuentæ
Extinctâ viduum ſolatur coniuge lectum,
Dilectoſq; artus triſti lugubrè peretro
Compoſuit ſiccis oculis, non Tygridis ille
Vberibus paſtus, Getulæ aut lacte leænæ,
Spumanti Lybiæ ſed per deſerta veneno
Solis aduſtorum fæcundo ardore Draconum.
Lex tamen his lachrymis poterit, finiſq; querelis
Imponi tandem: naturæ debitus ordo eſt,

Dira priùs rumpat furuâ Proserpina dextrâ,
Crescere quem multi Soles vidêre capillum:
Pigraq; dilectum tollunt obliuia nomen,
Postquam alius successit amor, tepuitq; recenti
Igne thorus, primi penitus fugêre calores.
At quem nec nati mouerunt funera, quem nec
Liuentes vultus, cum sese agnoscit in illis,
Atq; sui maior fatis aufertur imago,
Spes generis, rerum vnus opumq;, & nominis hæres;
Humani nihil ille gerit sub pectore sensus,
Nec fera, nec Lybiæ est serpens regnator arenæ,
Namq; sua est pietasq, feris, pietasq; cerastis,
Et diros Nili memorant lachrymare dracones:
Sed penitùs saxum est, Tatri de caute reuulsum
Vi Boreæ, ingentem quanto è radicibus ornum
Insurgens trahit, & montis cum parte reuellit,
Quod nullæ potuere manus, nec fulmina magno
Cum sonitu quæ nube cadunt deiecta corusca.
Dij faciant, non vlla piæ sollâtia prolis
Sentiat, & Pylios sterilis perduret in annos,
Non habeat qui tarda oculos in morte natantes
Clauderet, exanguesq; vrnâ componeret artus,
Qui tristes lachrymas & lamentabile carmen.
Ad surdos iterans manes, pia sacra quotannis
More patrum nigras memor instauraret ad aras.
Parua precor. contunde ferum, Rhamnusia, pectus,
Frange

Frange animum expertem sortis, nimiumq; capacem
Imperij Fortuna tui: tot funera cernat;
Atq; pares gemitus, diuûm quot vindice dextrâ
Tantalis extremum vidit, nec credidit ante,
Omnis in exhausto penitùs quàm corpore sanguis
Defficeret, rigidoq; algerent viscera saxo:
Ne miseros lugere vetet, neu vulnera, sæuus
Nostra, vocet crimen, lachrymis lenire profusis.
Heu citiùs summis currentes montibus amnes,
Cum vernæ tepuêre niues, iacto obice vincas,
Ignibus aut frænum imponas, surgentibus Euris,
Horrea cum immissæ vastent Mareotica flammæ,
Quàm grauis affatu iusto medeare dolori.
At tu chara parens, quam claro octauus ab ortu
Aspicit extremos Titan visurus Iberos,
Complexam mutos cineres, & inania busta,
Non iam fundentem lachrymas, non ægra trahentem
(Heu dolor!) afflicto nimium suspiria corde,
Sed siccos gemitus tantùm, & longos singultus
Augentem assiduè. vacuis Cythereia tectis
Qualis auis nido incumbit, quem cæde recenti
Natorum rubuisse videt, seu noctua, siue hos
Squameus intortis lacerauit nexibus anguis.
Talem te ad tumulos, & frigida saxa sedentem,
Solamur socio luctu, nec sufficit istud
Pectus, vt hæc damnet fusos in funera fletus.

Scilicet eſt raptorum ingens iactura nepotum;
Natorum fortaſſe minor: periêre labores
Inſomnes, longiſq; acti ſudoribus amni,
Spes vbi defeſſæ cecidit dilecta ſenectæ.
At ſuprema Deûm humanis ſolamina rebus,
Æui ſummus apex, fæcundam cernere prolem,
Et natos natorum, hæc vltima linea vitæ eſt.
Fælix, qui nullo violatus lumina fletu,
Lætus adit manes, generis cui longa relicta eſt,
Venturos olim, ſeries manſura, per annos.
Tale tibi inuidit ſenium crudelis, & æui
Fortunam Lacheſis; neptem (prô numina) neptem
Cernis, maturæ non quæ formoſa iuuentæ
Creſcat ad optatam meſſem, ſed rapta potenti
Ante diem fato, quæ te præcedat ad vmbras.
Digna gemis, dudum illa tuum meruere dolorem
Virtutum ſtudia, & tenero maturior æuo
Relligio, pietas, placidiq; modeſtia vultus,
Virgineuſq; pudor, quondam motura vel ipſos
Forma Deos, in ſpem luctu mutaſſet acerbo
Sæua dies, nimium & noſtris ſors inuida rebus.
O vbi notus honor ſuperum, cultæq; deorum
Effigies, ſecli laudata exempla prioris
Mille per amplexus & ficta per oſcula mille?
O vbi non feſtis vnquam intermiſſa diebus
Sacra, frequentatæq; preces, præmiſſaq; ſemper
Ceu

Ceu longo consueta vsu ieiunia : nullis
Pulsa fames epulis, solitis nisi numina votis,
Et magnum precibus castis onerasset Olympum:
Inq; salutatis admissus, ad intima diuis
Nunquam membra sopor? diri violentia fati
Omnia in immundos cineres conuertit & vmbras.
Vera cano. almorum reuerentia sancta parentum,
Quæq; senem morum grauitas matura deceret,
Nil magno puerile animo: quondam ista videre,
Nunc lugere iuuat. formosi gratia vultus,
Omnia par superis: niueo ceu, pocula sæuis
Grata Getis, mistus lacti cruor, aut vbi mira
Arte Caledoniæ violantur murice lanæ.
Dirarum heu nimium spolium crudele sororum,
Mersa iacet tumulo: perijt pietasq; decorq;,
Sidereiq; oculi ferali nube teguntur.
Vna omnes periere animi cum corpore dotes,
Nil præter cineres tristis complectitur vrna.
Dignior his lachrymis non si sub vallibus Idæ
Edita, vel magni cerebro Iouis: vna repente,
Non expectato bissenæ funere prolis,
Æterno Ogygiam mutasset marmore matrem.
Et prohibemus adhuc meritò pia lumina fletu?
Conamurq; (nefas!) iusto dare frœna dolori?
Nulla malo medicina satis, quod pectore fixum
Intus agens animam affligit, sicatq; medullas.

Flere

Flere iubet, qui flere vetat, crescitq; medendo.
Ponere qui longo poterat cum tempore luctus.
Non tibi præreptæ, genitrix, solamen alumnæ,
Dilectæq; paro neptis, quæ dulce leuamen
Curarum tibi sola fuit, spesq; vna senectæ:
Quæ tua si quando vidit turbata, benignè
Pectore mulcebat blandis affatibus: vna
Nouerat insomnes animo depellere curas.
Ardentem quoties famularum ignauia mouit,
Aspectu mox illa iram lenibat amato.
Illa morás nectens abitus complexibus arctis,
Seruabat de longè oculis vestigia, donec
Mælti iudex animi potuit pertingere visus.
Prima salutabat reducem, blandèq; sereno
Arridens vultu, cupidis circumdabat vlnis.
Nunquam muta domus, nunquam illa sospite mœror,
Aut læta insoliti turbarunt limina casus.
Digna gemis. non te cantu mulcere seuero
Thespius Amphion, nec Trax præsumeret Orpheus:
Ille licet Tyrios quondam ad sua carmina montes
Traxit, hic, Infernas fecit lugere sorores,
Tergeminumq; canem, & positâ sæuum Æacon vrna.
Idem ego si cessura meis Minoia iura
Sperarem fidibus, reditusq; pateret Auerni
Cui semel aduersâ licuit consistere ripâ,
Cautior explerem Stygij decreta Tyrani.

At facile

At facile est partes Erebi descendere ad imas,
Aera sed nubesq; cauas pernicibus alis
Scindere, magnorumq; domos tentare Deorum,
Insuetum per iter, vbi summo grata Tonanti,
Credo eqnidem, accumbit mensis fælicibus vmbra,
Mortali vetitum: in nostros tria numina casus
Conspirant pariter, fatum, natura, polusq;,
Vlla nec in summo dantur solatia luctu,
Ni conferre iuuet gemitus, iunctisq; liceret
Et tumulum lachrymis implere, & quæstibus auras.
Ipse etenim tecum languentis lumina vidi
In te vnam defixa, comam quando Infera Iuno,
Ferali complexa manu, supremaq; Parcæ
Fila legunt, te te illa auidis amplectitur vlnis,
Inq; tuos deiecta sinus, quos deserit annos
In te olim transferre velit, solata dolorem,
Quem crimen putat esse suum proh lubrica vitæ
Conditio; horrendum, vidi ipsa in morte natantes,
Et pressos æterni oculos caligine somni.
Vidi eheu nimium, & corruptæ murmura vocis,
Supremumq, Vale his crudelibus auribus hausi,
Atq; sed heu lachrymæ,
Ergo tuo si digna paro solatia luctu,
Non insueta meis, quondam dum fata sinebant,
Carminibus: me sæpè orbi vel funere in ipso
Audiuêre patres, matrum lamenta diserto

Sedaui cantu, natos auellere bustis,
Et fratrum potui lachrymas siccare piorum;
Nec quicquam ignauo surdas modo pollice chordas,
Infælix pulso, fletu mutantur acerbo
Carmina, pro cantu gemitus lachrymabilis exit.
Scilicet hoc etiam caput, atq; imperuia nuper
Pectora mœrori, longè fors improba vidit
Inuiditq; simul, simul & qua parte noceret
Repperit. ô votis semper contraria nostris
Fata Deûm; ô nunquam pleno data gaudia coelo!
Nec longûm concessa quies, suspectaq; semper
Munera fortunæ alternis variata diebus;
Luge igitur: neq; enim tantos componere motus
Nostræ opis est, dudum paribus qui pectora guttis
Spargimus, & tumulum lachrymis implemus inanem.
Forsitan ipsa tuum cælo miserata dolorem
Anna aderit, similes animi sedare tumultus,
Haud ignara olim, dulci mulcebit amaros
Alloquio fletus, cum sese ostenderit, astrorum
In medio, longè meliorem viuere vitam.

EIDEM.

NAENIAE FVNEBRES.

I

EHeu! quid nam aliud tanto mens saucia luctu
Proferat? heu miseram conditionem hominũ!

Siccine (proh ſuperi) Stygijs obnoxius orbis
Legibus, vt rapiant quidquid vbiq; libet?
Nulli certa ſalus, pereunt diſcrimine nullo
Infantes, pueriq;, inualidiq; ſenes.
Quid naſci tandem, aut veſci vitalibus auris
Profuit, & brutas mente præire feras?
Si pariter homines, pariterq; animantia morti,
Vnà omnes morti turba dicata ſumus?
Heu melius fuerat æterna in nocte latere,
Lumina nec magni clara videre poli;
Hæc quam iura pati, tantumq; manere periclum
Quottidie, & lethi vulnera finitimi.
Heu miſeram ſortem! num quid crudelius vltrà
In noſtrum ſtatuent numina ſæua genus?
Parce Deûm rector, caſu ſi victus acerbo
Fari aliquid cogor durius in ſuperos.
Me miſerum! heu qualem rapuit mors dira puellam,
Cui nunquam potis eſt orbis habere parem!
Hanc gemo, & immites parcas incuſo, Deûmq;
Ferrea (ſi fas eſt dicere) iura queror.
At quicunq; meos fletus culpauerit, illum
Nunquam tam ſæuæ contigit ira Deæ:
Non illi ſoror, aut frater, dulceſuè parentes,
Aut ſi quid iſtis charius eſſe poteſt,
Defuncti, antè oculos triſti iacuêre feretro,
Nec miſer arſuris aſtitit ille rogis.

Sed mihi post varios casus & fata meorum
(Quanquam adeò viuat sospes vterq; parens)
Hoc restabat adhuc, vt me mihi charior ipso,
Atq; meos potiùs viuere digna dies,
Heu immaturo raperetur funere neptis ?
Quid flebo, siccis si video hæc oculis ?
Tenè etiam comitem geminæ mors atra sorori
Addidit ? ô longo tempore flenda mihi !
Tunè etiam tristes nondum matura sub vmbras
Ibis, pallenti victima Persephonæ ?
Crudeles diui. poteras his legibus vna
Exolui, & fatis nectere sola moras :
Hoc mores meruêre tui, & maturior æuo
Virtutum, ac sanctæ relligionis, amor.
Vera loquor. si quid toto est placabile cœlo,
Tu poteras iras flectere sola Deûm :
Tu poteras trifidum medijs in nubibus ignem
Sistere, cum è summâ Iuppiter arce tonat.
Non te virtutum texit reuerentia, non te
Ingenij, mira cum probitate, decus.
Heu moreris, neq; æterno in mœrore relinquis :
Mortua te haud aliud me, nisi flere, iuuat :
Chara tui mihi dum ante oculos obuersat imago,
Et mores cogor dum meminisse tuos.

I I

ANNA ô vbi es? quæ te regio quæ littora seruant?
Quæ sine me tellus, quæ tibi tecta placent?
Te sine Smolicij saltus mihi ruraq; sordent,
Atq; meis notus Vistula carminibus;
Te sine nec grata coryli proiectus in vmbra,
Ædonium cupidis auribus opto melos:
Nec varias meditor pastorum in amore querelas,
Dum tondent auidæ pascua læta boues:
Nec mihi iam blandæ saliunt per gramina Nymphæ,
Detectæ niueos veste fluente pedes.
Immò illa, illa meis statio gratissima Musis,
Soli quo licuit ire redire tibi,
Te sine vel Stygijs redolet mihi tætrius antris,
Vel si quid Stygio sordet odore magis,
Te sine nec Musæ, sine te nec pulcher Apollo,
Consueto curas pellere more queunt.
Omnia te moriente silent: dolor occupat omnia.
Heu solùm misero, te sine, flere placet.

I I I

ANNA ô vbi es? mea neptis vbi es? suauissima neptis:
O qua te tandem, qua regione sequar?
Nam certè sequar: & mihi net fatalia Cloto
Stamina, communis me quoq; meta manet.

Sed cuperem, si mors vnquam est optanda, superstes
Vna non possim viuere luce tibi.
Quod si fortè nefas crudeli incumbere ferro,
Aut laqueo vitam rumpere sollicitam:
Præcipitem aut sese sæuas demittere in vndas,
Qua Tatrus vmbriferum tollit ad astra caput.
At saltem certis mortem exoptare diebus
Est licitum, & læuis quærere rebus opem.
Ergo ades optanti mors: non te Epidaurius Idmon
Pellet, nec, si ausit Cynthius ipse, sinam.
Nunc aliquis medicis forsan te territat herbis,
Placat & irati iussa tremenda Iouis:
Inde veni, nullæ hîc herbæ, succiuè salubres,
Vltrò etiam in nostrum fulmina posco caput.
Fallor, an hæc illa est tantorum summa malorum,
Queis miseri premimur vndiq; mille modis,
Vt penitus fletu exhaustis, nimioq; dolore
Consumptis, lethi copia nulla foret!

IV

ANNA ô vbi es tandem? quis te casusué Deusué
Heu procul è nostris littoribus rapuit?
Seu te rura tenent nullis obnoxia ventis,
Elysiumq; habitas irreuocata nemus:
Siue nouum fulges inter radiantia sidus
Sydera, perpetuo qua via lacte nitet.

Siue

Siue exuta hominem, pennasq; induta volucres,
Threycijs animas frondea lustra modis:
Siue iterum in formam mirè resoluta priorem,
Ignotos repetis tenuior vmbra locos.
Siue etiam sæuo paulùm purgaris in igne,
Vt superûm ascendas pura decensq; domos,
Hausisti si fortè aliquem de corpore næuum:
Culpâ nemo, puer sit licet ille, vacat.
Siue tenes cœlum, & bissenos altior orbes
Suprà, sub pedibus sidera picta vides,
Aligerum sociata choris: teq; ipse Deorum
Dignatur mensis arbiter ambrosijs.
Forsan vbi nostros rides lætissima luctus,
Ipsa licet tanti sis mihi causa mali.
Quæ te cunque tenent terræ, quibus orbis in oris
Degis, ab immitis libera lege Deæ;
Si nondum immemoris gustâsti flumina Lethes,
Huc age verte tuos ANNA benigna oculos.
Verte oculos, nostrumq; vide miserata dolorem,
Afflictoq; animo si potes affer opem.
Si quid es, vt veram credam te viuere vitam,
Fas mihi sit vultus posse videre tuos.
Præsentem heu tantum cernam, nil demoror vltrà,
Nec cupio amplexus lætus vt ante pios.
Sufficiet, totis cum me sopor obruet alis,
Eludant mentem somnia vana meam;

Atque tua antè oculos astet mihi dulcis imago,
Et placidos ficto fundat ab ore sonos.
Tum mihi diminuent luctus, sæuiq; dolores:
Nam cessare vnquam, te sine, non poterunt.

V

QVis mihi Tænariæ procul irremeabile portæ
Limen, & horrendos ad Phlegetonta aditus
Ostendet diuûm; quà olim Rhodopeius Orpheus,
Ibat ad inferni ferrea regna Iouis?
Mî quoque sulphureos si fortè inuisere fluctus
Detur, vbi æternum Styx inamæna fluit.
Quis scit, an his victus lachrymis me portitor ille
Non quoque in aduerso littore constituet?
Vt verò infandi me tuenda palatia Ditis
Ingrediar, furuæ & limina Persephonæ:
Tu mecum, tu culta chelys, nunc pectine eburno
Percussa, in fletus numina dura trahes.
Nunc ego carminibus mæstis, & suplice vultu
Immites Erebi sollicitabo Deos.
Concedant iterùm superas remeare sub auras,
Tempore quæ longo viuere digna fuit.
Ne dubitent, non his exolui legibus vlli
Concessum: huc nobis omnibus vna via est.
Si dabitur vitæ iustos pertingere ad annos,
Hoc vnum summi muneris instar erit.

Quod si

Quod si nullus adest precibus locus, atq; ita Pluto
    Indomitum duro corde adamanta gerit:
Certum est ad superos nullos tentare regressus,
    Atq; vnà vitam ponere, cum lachrymis.

VI

HEu vbi sum? quo me lachrymæ, sæuiq; dolores,
    Quo rapitis? num me mens mea destituit?
Siccine dillapsus calidas mutabor in vndas,
    Fonsq; nouus patrijs luxuriabo iugis?
Atq; aliquis nostros miserebitur incola casus,
    Et dicet, Musis hic quoq; charus erat.
Infælix puer, hêu lachrymis consumptus amaris,
    Vti non potuit viribus ipse suis.
Æterna at iusti vt maneant monumenta doloris,
    Hîc diuûm iussu soluitur in latices.
Vos tamen, ô superi, obtestor, per si quid in astris
    Æterno vobis dulcius imperio est:
Hæc si fata manent miseros, vt fletibus vllum
    Non statuat iustis sors inimica modum;
Esto, qui vitæ finis, sit & ille dolorum:
    Communi liceat sed mihi morte mori.
Non ego nescio quod liquidis habitare sub vndis
    Numen amo, aut thalamos ambio Naïadum.
Deserat hic, satis est, moribundos spiritus artus,
    Liber vt ignotas possit adire plagas:

Neptis vbi mea chara habitat, pulcherrima neptis,
Moribus incertum maior an ingenio,
Fæminei illa decus generis, si perfida Cloto
Messem expectasset, frugiferosq; dies.
Iam quoq; ni mea me fallunt oracula vatem,
Cælo virtutum præmia digna refert.
Hîc illam quæram: nam (si fas dicere) vitam
Fælicem cum Dijs, hac sine, mœstus agam.

VII

FLemus adhuc Diuæ Aonides? quo vestra recessit
Cura mei, casu cum grauiore premor?
Exedit macies vultum, totumq; dolores
Possedêre animum, pectora corde vacant.
Quæ sacra, quasué aras manibus temerare profanis
Ausus ego? aut vetitâ figere rupe pedem?
Si benè quid memini, Phæbeâ ex arbore nunquàm
Imposui capiti serta superba meo:
Non me Pagaseos latices mens alta coëgit
Haurire, aut sacro fonte leuare sitim.
Sed veterum longè vestigia fida secutus,
Tentaui obscura tollere nomen humo:
Nec, nisi præfatus veniam, Permessidos vndæ
Paulatim mersi labra supina vadis.
Ipse suâ imponens Phæbus de fronde coronam,
Mansurum capiti iussit habere decus,

Quæ nũnc, heu, tristi squallet mutata cupresso;
Et patitur cerni hoc, sæuus Apollo, nefas.
Quid tantis luimus lachrymis? quo indice? cuius
Conuincor tandem criminis esse reus?
Ipsi me colles patrij, dulcesq; recessus
Lugent, & fletu compita mœsta meo,
Fluminaq; fontesq; sacri, & florentia tempe
Olìm carminibus nota futura meis.
Hic ille est, aiunt, vates, solatia mœstis
Qui poterat blandâ dicere sæpe cheli:
Siue quis extinctos fleret de more parentes,
Seu daret indigno pignora chara rogo;
Consortemué thori, primæuo in flore iuuentæ,
Ire sub effosam tristè videret humum.
Ille pios gemitus tactis ad carmina chordis
Sedauit, lachrymis imposuitq; modum.
En quàm nulla suo satis est medicina dolori,
Atq; omnem in lachrymis respuit ipse modum.
Nil dulces charo Musæ auxiliantur alumno,
Nec quidquam solitam fert Pataræus opem.
En quàm tristè canit, quàm nulla conficit arte
Discordes versus, dissimilisq; sui est.
Sic me, sic diros geminantem in littore planctus,
Vistula qua placido labitur amne meus,
Frondosi saltus flebunt, Dryadesq; proteruæ,
Atq; vdæ patrijs Naiades è latebris.

Vester erit, Nymphæ Aonides (mihi credite) vester,
Ni properè cessant hæc mea damna, pudor.

VIII.

VNA, eheu! quæ tanta animum dementia cæpit?
Eripuit sensus vna puella meos?
Vna! pudor! quam nec genui, nec carmine foui
Nascentem, aut isto sustinui gremio.
Quid dignum hoc gemitu teneris ostendit in annis?
Quo potuit lachrymas demeruisse meas?
Esto vel antiquis formâ potis Heroinis
Certare, & vultu, Tyndari pulchra, tuo:
Res est forma breuis, Paphioq; simillima flori,
Quem subitus nimio deijcit imbre Notus.
Si morum, aut sancti specimen dedit illa pudoris,
Virgineæ aut cultrix simplicitatis erat,
Si benè de superis merita est, cum viseret aras,
Nosset & auratis iam dare dona tholis,
Quid iuuat? haud vllum pietas exemit, amoruè
Cælicolûm, duro mortis ab imperio.
Pendet ab arbitriò dirarum nostra sororum
Vita, nec est certus quem vereare dies.
Sed quid ego hæc memoro? non te mea neptis adeptā
Defleo, nec gemitus mors tua causa mei est.
Est aliud quod me o miserum miserabile torquet,
Prorsus & oblitum me facit esse mei.

Cum

Cum subit illius tristissima lucis imago,
Suprema, heu, vitæ quæ fuit hora tuæ.
Emorior, penitusq; putres dolor occupat artus,
Pectoraq; insolito dirriguêre gelu.
Pallentesq; genas iam nil nisi frigidus humor
Lambit, vt hybernæ Lydia saxa niues.
Heu mihi! prima fuit tantæ prænuncia cladis
Imo quæ tussis pectore cruda venit.
Nullus erat fateor lethi metus, & tibi dulcis
Manserat in læto qui priùs ore color.
Hoc magis illa furit, viresq; acquirit in horas,
Nullaq; tàm subito sat medicina malo est.
Ecce autem & fandi mox interclusa facultas,
Vixq; valent raucos edere labra sonos:
Tum primum trepidare omnes, & crebra per aras
Non audituris fundere vota Deis.
Ante alios auus ille tuus, sed mœstior illo
Vix auia est compos (proch dolor) ipsa sui.
Hos ego non vici: neq; enim fas vincere, verus
Scilicet illorum tu quoq; sanguis eras.
Sed certamen erat: paritèr fædauimus ora
Vnguibus, atq; pari sparsimus imbre genas.
Illos prostratos summi ad delubra Tonantis,
Cynthius exoriens vidit, & occiduus:
Me quoq; prostratum summi ad delubra Tonantis,
Cynthius exoriens vidit, & occiduus.

Quid plura? iratum precibus conamur Olympum
 Flectere necquicquam, mors tamen atra venit.
Mors venit, & certo fatalia spicula cornu
 Dirigit in pectus, chara puella, tuum.
Heu dolor! heu lachrymæ! cur nō subito abstulit ictu,
 Viuere quam Lachesis noluit vlterius?
Quid sæuis truculenta? quid infestissima sæuis?
 Quid iuuat his miseram discrutiare modis?
Parcite cœlicolæ: potuit quî lædere vestra
 Numina, non vllos docta puella dolos?
Parcite. vel potiùs me, me his consumite pœnis,
 Qui merui in tumidum hoc fulmina mille caput.
Huic satis est, vitam teneris amittere in annis,
 Atq; immaturo funere disolüi,
Et spem mæstorum, heu nimium, frustrare parentum,
 Solamen senio qui cupiêre suo;
Seu vellet sacros habitus, legesq; beatas,
 Siue maritalis fœdera casta thori.
Iam pereat, si immota manent quæ iura sorores
 Lanificæ à primo constituêre die:
Sed sæuas cohibete manus, lenite dolores,
 Hæc nullum insonti dilluet ira nefas.
Sic ego. crudeles rapiebant verba procellæ,
 Audiri iustæ non meruêre preces.
At tibi lethalis depascitur ilia morbus,
 Et premit assiduus pectora fessa dolor:

Qualem

Qualem Caucasea non fert sub rupe Prometeus,
Saucius æternum vulturis vngue iecur.
Me miserum! qualem faciem, quæ lumina vidi,
Hora vbi iam propior mortis acerba fuit!
Quæ priùs in niueo regnabat gratia vultu,
Cum pia virgineus tingeret ora rubor,
Non secus Idalio si candida lilia flori
Misceat, in cultus docta puella suos,
Alba peregrino aut pingantur vellera fuco,
Murice vel Tyrio si violetur ebur:
Heu perit: exhaustoq; sedet pro sanguine pallor
Plumbeus, & solitus deserit ora color.
Liuentesq; natant oculi, nec noscere quenquam
Posse datur, charæ quam gemitus auiæ.
Illius in gremium, tam sæuo fracta dolore
Atq;, heu, non dignis exagitata malis,
Sæpe cadens, collo nectebas brachia circùm,
Insigens madidis oscula mille genis.
Forsitan, at frustra, in tanto solatio luctu
Optabas miseriæ tu quoq; pauca dare:
Deficiunt vires, vox intercepta dolore est,
Inq; thorum rursus te reuoluta iacis.
Infelix thorus, heu, non hos ornatus ad vsus,
Quàm tristi potiùs flammâ abolendus erat.
Tu tamen infirmo fingebas gaudia vultu,
Vix hæc exili gutture verba trahens:

Quid

Quid si hæc cælicolûm staret sententia, vitæ
Vt suprema adsit lux hodierna meæ,
Quis tibi tunc animus, vel quo mea funera vultu
Aspicies, cum me putris habebit humus?
Illa refert, largis humectans pectora guttis,
O mihi plus oculis, ANNA, adamata meis;
Non illud tempus fandi, ah priùs ima deiscat
Terra mihi, morti quàm super esse tuæ
Detur, & hos artus turpi mandare sepulchro,
Quod cineri debes officiosa meo.
Plura locuturam prohibet dolor, interruptum
Faucibus inclusit vox meditata sonum.
Non ita (tu contrà ficto pro tempore risu
Inquis) ad hæc potius dicere verba decet:
Postquám te inuidit mihi sors charissima neptis,
Non potero similem rursus habere tui.
Hæc tua vox suprema fuit, cum fata videres,
Iam iamq; inijceret mors violenta manus.
Illius at quantus rumpebat pectora mæror:
Postquam spes vitæ est omnis adempta tuæ,
Quod lachrymas oculis, heu, quot suspiria ab imis
Nunquam cessabat fundere visceribus!
Non aliquid Phæbi ex adytis, vatisué Sybillæ
Si peterem, his dictis certius inueniam.
Nulla erit ingenio, quamuis maturior annis,
Atq; tuæ similis nulla pueritiæ.

Vera

Vera loquor. non vlla tuis par moribus, vnquàm
Æmula virtutis vix erit vlla tuæ.
Iure igitùr vox illa tuis emissa labellis,
Non poteris similem rursus habere mei:
Vox, eheu! quam nulla dies hoc pectore tollet,
Donec eunt vitæ tempora pauca meæ:
Vox auiæ funesta tuæ, quæ fletibus vllum
Nescit adhuc sæuis imposuisse modum.
At tibi fatalis properabat terminus æui,
Et poterat certis cognitus esse notis;
Frigidus è toto manabat corpore sudor,
Nec calor in membris, nec color vllus erat:
Solus adhuc vitæ indicium restabat amaræ
Halitus, interna non nisi peste calens.
Tu tamen ex auiæ pendebas languida vultu,
Crescebatq; tuus forsitàn inde dolor.
Cum subitò furuâ crinem Proserpina dextrâ
Abscidit, & reliquus deserit ossa calor.
O me infælicem! his manibus tua lumina pressi.
Heu sæuum, heu nimiùm triste ministerium!
Protinùs exoritur clamor, gemitusq; sonoros
Tota tuo ingeminat funere mæsta domus.
Ipsa artus auia in terram deiecit aniles,
Immeritam fædans puluere canitiem.
Crudelesq; vocat diuos, crudelia fata,
Quæ properè, ah, nimiùm spes rapuêre suas.

Sex illam insomnem noctes, sex deniq; Soles,
Semianimem mediâ procubuisse domo
Vidimus, ingentes conati in pectore luctus
Sedare, & lachrymas sistere continuas:
Incassùm, neq; enim illa dapes, placidamué quietem
Cogitat: aut vitam curat opima suam.
Vnus amor tecùm tristes descendere ad vmbras,
Et simul informi per Styga lyntre vehi,
Æternumq; vnà Elysios habitare recessus:
Commoda terrarum, te sine, nulla placent.
Et meritò. nam nulla tuæ par gratia formæ,
Sit licet in medij gurgite nata maris.
Quidquid id est: certè & superis formosa placebant,
Quondam mortales dum coluêre casas,
Aurea cum nullis parêret legibus ætas,
Sponte sua inuisum cum scelus omne fuit.
Pluris at innatum sanctæ virtutis amorem
Fecit, & ingenij dona beata tui.
Pluris compositos mores, gressusq; modestos,
Quàm si de Regum sanguine nata fores.
Inde tuis fortasse aliquid sperare licebat:
Nunc vnà pereunt omnia vota die.
Hæc illi, hæc nobis tantorum causa malorum,
Atq; hæc perpetui causa doloris erit:
Illa tui donec mæstissima stabit imago,
Vultus Apelleâ qua tuus arte nitet.

Quid

Quidloquor? incertos mihi dũ trahit Atropos annos,
Vitalisq; artus dum regit aura meos.

IX

QValis in herbiferæ quondam radicibus Ætnæ,
Ludebat tenero persata læta pede,
Inter & æquales fælix Proserpina diuas,
Nectebat niueâ florida serta manu:
Cum subitò horrendo tellus aperitur hiatu,
Et tremit Infernis Si celis Ætna votis;
Corripit ignaram nigri moderator Auerni,
Et secum in Stygias deuehit vsq; domos.
Vel qualis, Phrygij liquidas Symoëntis ad vndas,
Lanigeras pastor Dardanus egit oues
Illum hilarem in syluis, & nil fatale timentem,
Armiger immani sustulit vngue Iouis.
Magna loquor. qualis, pingui Sicyonis in agro,
Paruula sub matris crescit oliua latus,
Nondum illa aut ramis latè viridantibus vmbram
Porrigit, aut densis frondet amœna comis.
Vix modo se terra attollit: si fortè colonus
Nescius hanc inter gramina falce metit,
Infælix aret, charæ & moribunda parentis,
Viribus amissis, corruit ante pedes.
Roribus aut qualis surgens rosa matutinis,
Pulchrior illæsæ virginis ore rubet;

Mox Phœbi languet radijs percussa, caditq;
Puniceus, viso tristè calore, color.
Talem te heu nimium vidi, cum parua parentûm
Vix dum emissa sinu, concidis ante oculos.
Heu! vix dum hausisti cæli spirabilis auras,
Vixq; fuit Solem posse videre datum.
Antè ferox annos, pubescentemq; iuuentam,
Præcidit celeres Parca cruenta colos.
Nil ætas viridis, superisq; simillimus ille
(Si quidquam simile est) profuit oris honos:
Vt semper ius illa suum exerceret, & à te
Non potuit crudas abstinuisse manus.
I nunc, & firmæ nimium confidæ iuuentæ,
Quisquis es, asiduè nascimur & morimur.

X

IAM quater immensum, totiesq; reuiserat orbem,
Optatum referens Cynthius ore diem.
Me tamen æternus mœror, lachrymæq; perennes,
Insomnem tota nocte dieq; premunt.
Visa Ioui tandem sæuo medicina dolori
Digna dari, & tantis meta suprema malis.
Namq; sumus Diuûm non vltima cura Poëtæ,
Fundimus & summo haud irrita vota Deo.
Nox erat, & positis requierant omnia curis,
Quæ nemora, & campos, quæ maria alta tenent:
More

More meo, in medio curarum languidus æstu,
Deposui molli pallida membra thoro.
Ecce mihi, antè oculos Annae viuentis imago,
Astitit, ardenti sole serena magis.
Digna Deâ facies, geminisq; simillima stellis
Lumina, & auratis frons radiata comis.
Albentesq; artus tenuis velârat amictus,
Vt si aliquis vitro nobile claudat ebur.
Non ille in vultu pallor, non liuida lethi
Signa manent, solito maior in ore color.
Illa fuit, neq; enim lusêre insomnia mentem
Vana meam, falsis noctis imaginibus.
His oculis vidi, gressumq; habitumq; notaui,
Necdum animo excessit visio grata meo.
Atq; ego dum misto fingo mihi gaudia fletu,
Compellans reducem dulcibus alloquijs:
Illa fugit vento similis, crispantur euntis
Sparsæ in terga comæ, moræ fluentis aquæ.
Protinùs ipse sequor, manibusq; apprendere frustrà
Conatus, me extrà limina proripui.
Quò fugis infælix, infælicemq; relinquis,
Qui te plus vitâ credit amare suâ?
Quo fugis heu? refer huc vultus ingrata serenos,
Saltem aut supremum redde rogata Vale.
Illa nihil contrà. at celeres sublata per auras,
Alitis in morem sidera picta petit.

Scindit se nubes, patet alti ianua cæli,
    Magnorumq; domus non temeranda Deûm.
Hic veteris pugnæ exuuias, currusq; rotasq;,
    Raptaq; terrigenis spicula cernere erat.
Vestibulum ante ipsum, sæuos adamante tumultus;
    Excidit dextrâ Mulciber artifici.
Cernas ramosas torquentem in sidera quercus
    Enceladum, integrum Porphyriona nemus.
Montibus iniectos montes, cum Pellion Ossam,
    Frondosumq; ingens vexit Olympus Athon.
Dumq; ego picturâ miré delector inani,
    Se mea per medios intulit ANNA polos:
Et dudum anté Iouem, nitido pulcherrima vultu,
    Constitit, æternis annumerata choris.
At diuæ mediam læto circum agmine cingunt,
    Mirandisq; sonant aurea tecta modis.
Tum primùm curarum expers, grauiumq; dolorum
    Immemor, ad superos totus anhelo lares,
Et sanctâ inuidiâ absumor. quis me Deus, ô quis
    Siderei summa sistat in arce poli?
O ter fælicem, fortunatamq; puellam,
    Tàm iuueni licuit cui modò posse mori!
Talia clamantem, somnus cœlumq; reliquit,
    Meq; meo agnoui nusquam abijsse thoro.
Est superis sed habenda fides: siue numine diuûm
    Talia conscieri quis potuisse putet?

Viue

Viue Deos inter, læta ô dulcisſima neptis,
Dum memor ipſe tui ſum, memor eſto mei.
Iamq; ego te poſthac lachrymis non proſequar vllis,
Sed laudes dicet noſtra Thalia tuas.
Nec modò plebeio tibi ſurgit in aggere buſtum;
Sculpta ſed auguſtum nomina marmor habet.
Quosq; procùl ſummo ſignaui in margine verſus,
Externo veniens hoſpes ab orbe legit.
Moribus ANNA ſenex iacet hîc, ætate puella:
Sed præter cineres nil leuis vrna tenet.
Spiritus aſtra habitat. lachrymis perfunde ſepulchrũ,
Si magnas pietas eſt quoq; flere Deas.

IN FVNERE
CATHARINÆ NIE.
WIAROWSKA,
TRENI LYRICI.

I

NON geſta tantùm Melpomene Deũm,
Latéq; Olympi tecta patentia,
Ductumq; fatali triumpho
Ore canem rabidum trifauci:

Regum

Regum aut beata docta palatia
Mulcere cantu, regnaq; dissita,
Quondam potenti subiugata
Sauromatûm memorare dextrâ:
Sed sueta tristes dicere nænias,
Si quando gentes proterit arduo
Curru Gradiuus, vel cruentâ
Mors populos domitat pharetrâ.
Depone sacris pupureas comis
Vittas, olentem funerea rosam
Taxo coërce: fas cupresso
Pierias renouare lauros.
Sors quæ superbos vna animos domat,
Sed iura Musas illius arduas
Horrenda, Musarumq; alumnos
Prætereunt, metuenda vulgo:
Eheu! ratorto me tamen inuida
Vidit quietum lumine. prôch dolor!
Cogitq; curarum parare
Insolitas vacuum querelas.
Nuper recenti qui igne tepentia
Ad busta matres, carmine, cernuas
Solabar, & natorum amaris
Fræna dabam lachrymis piorum.
Solamen ægris quæro miser malis;
Modiq; doctas deficiunt fides.

Infaustus

Infauſtus almarum ſacerdos
Caſtalidum, gemitu fatiſco.

II

QValis auroræ roſeis quadrigis
Currus apparet, rutiloq; vultu
Pallidas toto fugat incitatus
Æthere ſtellas:
Mox diem Phæbo referente clarum,
Montium quando nemorumq; ſaltus,
Atq; depreſſæ nituêre valles,
Luce ſerena;
Pallet & currus roſeis quadrigis
Vectus Auroræ, rutiliq; vultus,
Pallet & lampas, trepidansq; toto
Æthere cedit.
Talis optati properans ad æui,
Nubiles ibat Catharina menſes,
Iamq; vincebat roſeo cöæuas
Ore puellas:
Nil ſed humanis ſtabile eſt in orſis,
Inuidit cœlum, ſubitoq; pulchrum
Oris afflauit rapido decorem
Turbine mortis.

III

AT vos lanificæ si superi Deæ
Iubent fata hominum nere fugacia,
Cur heu, cur nimiùm tenuia stamina,
Vix inceptaq; scinditis?
Si vitam placido munere cælitûm
Assignatam habuit, fas violauerit,
Magni & iura Iouis, qui prohibet dies
Vitæ viuere debitos.
Nam longè est aliud (credite) viuere,
Quàm nasci. cupidã non pepulit famẽ,
Spectator Phrygias qui numerãs dapes
Intactis abijt cibis.
Frustrà bella tumens iactat, & horridi
Fugasse è patrijs, barbaraq; finibus,
Si quis tela Getæ vidit ab arduo
Expers colle periculi:
Alter sanguineas cum referat manus,
Loris impauidos antè trahens Duces,
Ascendatq; iugi templa vauelij,
Curru victor eburneo.
Crudeles nimiùm, Tartareum genus,
Parcæ, infida Deûm numina legibus:
Naturæ rapitis fœdera, & est opus
Quod frustrà faciunt Dij.

IV

QVis putâsset, heu, Deos
Nefas videre posse sortis. atræ
Tantùm ? vbi ignis impigri
Ferocientis in scelus profanum
Tela ? sic inultus heu
Abibit ausus istius ? quietem
Quæ meam palam ruit ?
Truces furente si maris procellas
Puppe quærerem vagus,
Aquisq; crederem Notisq; vitam:
Tum nocere forsitàn
Liceret. aut cruentata Martis arma
Si secutus, audeam
Cruore nomen arduum parare
Prodigo; datum sibi
Putet maligna ius meũ in caput. mortalium sed omnibus
Dei dedêre cuî soluta curis
Pectora, & lyram pius
Leuamen omnium malorũ Apollo;
Inuenit tamen ferox,
Mihi pereme parte quã beato
Vulnus intulit, tuam
Comã sinens Proserpinæ secandam,

Catharina, virginum
Decus futura. neptis ô venusta,
Fata nubiles dies
Videre mî benigna si dedissent.

V

SEd quò, nefandum quò lachrymæ genus?
Abite tristes, ferte pedem citæ
Procul sub vmbras Tartarei Iouis,
Nigrantesq; Erebi domos.
Cedant molestæ sollicitudines,
Cedant dolores, curaq; peruigil:
At corda seruat quæ sapientium,
Succedat ratio potens.
Nunquàm supremi cassa fuit Iouis,
Quæcunq; solers aggreditur manus:
Natura frustra nil, nihil inclyti
Incassum faciunt Dij.
Sed sicut altas qui modo Balthei
Ingressus vndas æquoris, humidam
Soluitq; curuis littoribus ratem,
Experturus iter maris:
Si fortè ventis bella cientibus,
Sæuisq; Nereus intumit Notis,
Illisa saxis infrenit, vltimum
Minans vnda periculum.

Viſo viator ceu colubro, pedem
Refert labantem, velaq; colligit,
Fluctusq; remis inſtat arantibus,
Vt portum intret amabilem.
Puella fælix, non alitèr dies
Vitæ ſubibat (prôh) miſerabilis;
Ignara quantis res hominum malis
Miſcent aſtra volubiles.
Vt vidit, acres torſit agens gradus:
Nuper piorum quæ monitis Deûm
Cœli nitentis tecta reliquerat,
Rurſum ſponte redit ſua.
Permiſta caſtis aligerûm choris,
Quò viuit annos inuariabiles,
Ridens tumultus, & dubias vices,
Quas diuûm colimus loco.

IOACHIMO NIEWIA-ROWSKI
EPICEDIVM.

QVID tibi feſtiuum tenera ad cunabula carmen,
O nimium dilecte puer, falſo omine luſi,
Necquicquam gradus Phæbo, Muſiſq; ſacerdos,
Cogor funereâ virides mutare cupreſſo

Infælix hederas, tristesq; ad busta querelas
Occinere, iratis dudum in mea gaudia Parcis.
Scilicet & nobis vetitum est sperare Poëtis,
Atq; aliquid optare nefas. sic omnia versat
Arbitrijs Fortuna suis, mortisq; cruentæ
Iura manu vitæq; tenet. quò vestra piorum
Cura Dij? sæuum ô & inexorabile fatum!
Ite procul, quicunq; meis præscribere fines
Audetis lachrymis, durum est primæua parenti
Pignora, surgentesq; nefas accendere natos.
Et si casta mihi placuêre altaria Diuûm,
Musarumq; domus nullis temerata Hymenæis:
Huius eram genitor: natum lustralibus vndis,
Et sacro de fonte tuli. me fœdera cæli,
Non fecit natura patrem, plùs debuit olim
Ille mihi, exiguum chari tribuêre parentes.
Hinc isti fletus: magno gemo saucius ictu,
Illis plaga minor. prôh quæ violentia fati!
Vnus eras formose puer, post quinq; sororum
Funera, qui posses damna instaurare tuorum.
Tu poteras implere domùm tot prolibus orbam
Vnus, & ingentem tandèm sarcire ruinam.
Omnis aui spes, atq; auiæ, spes vna parentum,
Nostraq;. penè animis fati monumenta prioris,
Atq; animæ insignes, & adhuc fumante calentes
Igne rogi, madidæq; recèns tot fletibus vrnæ
Excide-

Exciderant: tantùm oris honos, ſurgensq́; venuſtas,
Quæq́, tibi in toto ridebat gratia vultu,
Spondebant. tu ſolamen, tu deniq́; nobis
Omnia ſolus eras. ſubitas inimica leuauit
Diua manus, mœrore omnes immerſit acerbo,
Atq́; nouo priſcas reuocauit funere tædas.
Sopiti redeunt planctus, gemitusq́; dolorq́;
Te moriente redit. rurſum mæſtissima mater,
Et genitor, lachrymis Catharinam ingentibus implēt.
Certatur fletu. dulcem meditatur alumnam
ANNAM auia, vngue genas & nil crudele merentes
Proturbat canos, & ſidera queſtibus vrget,
Incuſatq́; iterùm quamuis longæua Tonantem.
Ferali ipſe comam taxo redimitus inertem,
Infauſtum renouo carmen. te ſcilicet vno
Amiſſo, rediêre omnes in pectora luctus.
Orbus ego, qui digna tua præcepta parabam
Indole, fælices taliq́; ex arbore fructus,
Quam vitæ inſerui, quondam expectare licebat:
Nunc ſurdo cineri threnos, & inania fundo
Carmina, ſpesq́; omnis parua tumulatur in vrna.
Ingenij tu ſolus eras, tripodumq́; futurus
Muſarum famæq́; hæres, ſi grata Poëtis
Me quoq́; poſteritas molioribus inſeret annis:
En pariter tripodesq́; gemunt, Muſæq́; dolorem
Teſtantur lachrymis, & nil niſi flebile carmen,

Accliues

Accliues tumulo ſparſis de more capillis,
Mecum iterant, tantumq; nefas licuiſſe queruntur
In te funeſtæ Lachæſi, fatisq; cruentis.
Heu! lugere iuuat, quibus irre parabile damnum,
Et medicam cui vulnus opem curasq; ſalubres
Reſpuit, & Marſis lectas in montibus herbas.
Attu chare puer, ſeu de plaga lucida cæli,
Stellarum in numerum, putiori parto, recepit,
Seu colis Elyſium, inſontes quà plurimus vmbras
Campus habet, virides vbi mollis amaracus hortos,
Pallentesq; tegunt violæ, nec grata roſarum
Germina, non calthæ, non candida lilia deſunt;
Arua r gant paſsim dulci manantia lacte
Flumina, & errantes ſaliunt per gramina riui
Mellis odorati, quod nulla è floribus illis
Legit apis, ſed ſponte ſuâ natura miniſtrat.
Salue ô ſupremum. dum nos dolor opprimit ingens,
Prorſus & in tenues fletu dillabimur vndas.
Æternumq; vale. nuper mea magna voluptas,
Nunc gemitus, longumq; patri lachrymabile nomen.

TVMVLI ET EPITAPHIA SOPHIÆ NIEWIAROWSKA.

I

HOC SOPHIAE Niewiarowiæ parua oſſa ſepulchro
Seruat humus, puram ſidera clara animam.

Omen

Omen erat nomen: Sophiam immatura facit mors
Cuncta mala atq; omnes temnere delitias.

II

BIS nouies vidi Solem. quàm longa malorum
Visa mihi! quid si longior illa foret?
Mors mihi delitiæ, de mille doloribus exîj.
Ergo alijs quæ mors, hæc mihi vita fuit.

III

HÆC Sophiam Nieuiarouiam tenet vrna sepultã:
Hic status, hæc lex est omnibus vna, mori.
Attamen è multis fælicior illa, malorum
Quod minus in terris paruula sustinuit.

IV

VMbra vocor. sed cur? quod sũ expers corporis. &
Quando habui corpus vix leuis vmbra fui. (tum
Vmbra sumus, quamuis viuamus Nestoris annos:
Iam quæ infans morior veriùs vmbra fui.

BEATÆ NIEWIAROWSKA.

I

VRna breuis Nieuiarouiæ tegit ossa Beatae,
Non illam nomen, nec graue stemma beat.

Sed tempus vitæ exiguum ſine labe peractæ:
Iam didicit nomen vera Beata ſuum.

II

O Vanas hominum curas? tunc tempora vitæ,
Cum vixi, lætus duxit vterq; parens.
Mortua ſum, præ mæſtitia moriuntur & ipſi:
Ignorant quæ ſit vita, habitare polos.

III

SCire cupis quæ ſim? ſum nomine req; Beata,
De Nieuiarouio ſtemmate claro genus.
Omen quám nomen potiùs tribuêre parentes:
Antè diem morior, iure Beata vocor.

IV

QVid mea chare pater lachrymas ad buſta profûdis?
Non ego, cum vixi in corpore, viua fui.
Nunc viuo, cum cælum habitat pars maxima noſtri,
Terra vale, æternum continuumq; mori.

ANNÆ NIEWIAROWSKA.

I

HEV lachrymæ! heu Parcæ crudelia numina! cuius
Oſſa ſub hoc ſaxo, dic mihi, clauſa iacent?

Anna

Anna iacet Nieuiarouia: his non plura. quid? omnes
Quam flent amiſſam, ſat tibi, qualis erat.

II

VRna Nieuiarouiæ cineres complectitur Annæ,
Iamdudum ſummum Spiritus antè Iouem.
Digna quidem iuſtis lachrymis, gemituq; piorum,
Præmia virtutis ſed meliora refert.

III

O Quàm præcipiti mortalia turbine verſat
Iuppiter, inſtabiliq; omnia ſorte regit!
Quæ modo florebam formâ, & puerilibus annis,
Tàm ſubitò putri mortua condor humo.

IV

SI quis habet ſpem Neſtoreas contingere meſſes,
Virtutis magna fretus amicitia:
Pone, meo exemplo, cui nil antiquius vnâ
(Heu) virtute fuit, attamen en morior.

V

MOribus ANNA ſenex iacet hîc, ætate puella,
Antiqua ducens nobilitate genus.

Sed benè habet, quod terrenos parua exuit artus,
Se dignum in terris quiuit habere nihil.

VI

Hîc iacet Anna Nieuiarouia. cætera fari
Me prohibent lachrymæ
Tu quicunq; vides bustum, si nomina nosti,
Hîc lachrymis mecum sparge pios cineres.

VII

IVppiter omnipotens, precibus si flecteris vllis,
Heu flecti iustis hîc poteras precibus:
Ne quæ digna fuit Cumææ virginis annis,
Tám non maturo funere rapta foret.

VIII

O Fatum! quæ te thalamis regalibus olîm
Maiorem voluit reddere forma, perit.
Non ita. promissis steterunt oracula: raptam
Iuppiter ipse suo te locat in thalamo.

HEDWIGI NIEWIAROWSKA.

I

HEduigis iacet hîc Nieuiarouia, quæ modò vitam,
Ceu flos succissus vomere, deposuit.

Non

Non aliam nouit quam florum germina vitam,
Vix mortem, in mens viuat apud superos.

II

HEduigim Nieuiarouiam sub marmore fatum
Clausit idem, olim quod nos quoq; triste manet.
Cur sic illa infans moritur, nos funera plures
Tarda manent? mortis forsitan error erat.

III

PArua fui viuens, paruæ mihi parua placebant,
Paruus & extinctæ est quàm satis iste locus.
Nunc Diuûm numerum magna augeo. paruulus esse
Disce, meo exemplo, tu quoq; magnus eris.

IV

SI ter centenos quondam longæua per annos
Vixissem, tamen hæc lex fuit vna mori.
En morior. necquicquam vmbram lugetis inanem,
Vltima naturæ debita persolui.

CATHARINÆ NIEWIAROWSKÆ

I

TV quoq; delitium nuper commune parentum,
Fato auges lachrymas nunc, CATHARINA, tuo.

Scilicet hæc fors est hominum miseranda, quod vnde
Solari licuit, nascitur inde dolor.

II

HIc CATHARINA cubo Nieuiarouia: quæ licet æuo
Intenero, æquabam moribus vna senes.
Nuper parcarum quærens quæ stamina rumpat,
Errauit, dum me mors putat esse senem.

III

I Sequere egregias, i, fælix vmbra sorores:
Quinq; eritis, diuûm crimine, flenda cohors.
Quattuor at poterant cœlo satis esse furenti,
Imperare ni numero gaudeat omnipotens.

IV

EN tibi iam qnintam dedimus, mors pessima, natã,
Si tanti est nostris vt satiêre malis.
Nos quoq; iã exhaustos lachrymis rape sæua, priusquã
Stabimus at tristes marmora sicca rogos.

IOACHIMO NIEWIAROWSKY.

I

CLauderis (heu!) saxo parue IOACHIME sub isto,
De Nieuiarouiâ nobile stirpe genus.

Non

Non hæc tecta tibi genitor, non chara parabat
Mater: at hæc illis spes quoq; vana fuit.

II

QVinq; diem menses vidi, cum me improba Clotho
Quæ æui discrimen nescit habere, rapit.
Floribus hunc tumulum, non vllo spargite fletu:
Tàm citò qui morior flos quoq; vernus eram.

III

NOn sat erat quinas cœlo accessisse sorores,
Ires nî sextus tu IOACHIME comes.
Cætera sis insons: hoc vno crimine certam
Inuidiæ euades quâ ratione notam?

IV

PArue vale extremum puer. hoc te marmore mœsto,
Tot madidum lachrymis, claudit vterq; parens.
Nimirùm vt iunctum titulis tumulisq; sororum
Aspicerent, nasci te voluêre Dij.

SIXTY LVBOMIRSKI.

IN OBITVM IOACHIMI NIEWIAROWSKI MONODIA.

Matris.

HVC huc celeri properate gradu,
Flebile carmen fundite matres,
Tundite tristi pectora palmo;
Fletibus auræ resonent omnes:
O Sæua nimis spicula mortis;
O Sæua nimis funera gnati;
Tristes lachrymas fundite mecũ,
Tristes mecum lacerate comas:
Cadit en fulcrum stemmatis alti,
Nobile Nieuiarow stemma fatiscit;
Genus antiquum Sarmatiæ cadit;
Pueriie decus morte peremptum est:
O sæua nimis spicula mortis;
Tristes mecum lacerate comas,
Nate quo ruis? nate cur siles?
Nate quo fugis? nate quo cadis?
Genitrix tecum loquitur fili,
Nate cur siles? loquere o gnate.
O Sæua nimis funera gnati;
Tristes lachrymas fundite mecũ.

Superi

Superi me vna prole bearant,
Superi prolem viuere dederant,
Superi claram perimunt prolem,
Superi matrem ſpoliant gnato:
O ſæua nimis ſpicula mortis;
O ſæua nimis funera gnati;
Triſtes lachrymas fundite mecum,
Triſtes mecum lacerate comas;
Solamen obit patris & matris,
Columen noſtri nominis vnum
Sæua tulerunt ſpicula læthi:
Ponitur atris tenebris lumen,
O ſæua nimis ſpicula mortis;
Triſtes mecum lacerate comas.
Quo gnate fugis? quo gnate ruis?
Lethëa precor ſubeam tecum
Flumina genitrix: quo gnate fugis?
Sine te caſſas pellor in vmbras.
O ſæua nimis funera gnati;
Triſtes lachrymas fundite mecum.
Lugere iuuat: plorare iuuat:
Heu puer redi? quid puer taces?
Geminabo preces: gnate redito;
Heu puer redi? nate muteſcis.
O ſæua nimis ſpicula mortis;
O ſæua nimis funera gnati;

Tundite tristi pectora palmo,
Fletibus auræ resonent omnes.

APOSTROPHE MORIENTIS. AD AMICOS ET MATREM.

NON mea quod lachrymis spargatis funera amici
Est opus; hæc etenim funera quemq; manent.
Mî senos nondum menses numerauerat ecce
Inuida Parca, tamen stamina falce secat.
Desine, cara parens toties geminare dolores,
Quod doleas nihil est: cælica regna peto.

II

PEctore tristitiam affines deponite: vobis
Carus eram: superis carior esse volo.

VMBRA MORTVI

POnere miraris me artus in flore iuuentæ,
Desine; non sedes, sed fuit hospitium.

II

DVcere vix cæpi vitam, mox corpore cedo,
Non mirum! fixum durat in orbe nihil.

2b

EPIGRAMMA.

PArca tibi nomen? num tantum parere mens est?
Parcere sed nulli; perdere cuncta iuuat.
Parca tumes: homini quod nescia parcere: parti
Si iuuat ast nulli parcere: parce animæ?

CHRONOSTICHA SINGVLORVM CONTINENTIA ANNOS OBITVS.

I SOPHIÆ.

QVaM sVbIto pereVnt terræ soLatIa CernIs,
VIX nasCor, pereo: CVr? qVIa ParCa VoCat.

II BEATÆ.

HeV CVr CLoto fVrIs? tenVes CVr IrrVIs artVs?
SCIs VIta posthanC Me potIore frVI:

III ANNÆ.

Anna sVbIt CæLos MaII fVLgentIbVs astrIs,
FLeXa VeLVt pLVVIo LILIa rore IaCent.

HEDVI-

IV HEDVIGIS.

HanC DeVs eX terrIs eXCeLsa VoCaVIt aD astra,
EXILIO patrIos est reVoCata Lares.

V CATHERINÆ.

CVr CatherIna fVgIs? faCILes CVr eXVIs artVs?
AspeXI trIstI sIC oMnIa sorte regI.

VI IOACHIMI.

SICCIne non potVI eXIgVos seX nosCere Menses,
VIta VaLe: en obeo: heV præsCia fata VoCant.

FINIS.